



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXVI. Implorata à Dei matre ope, Iudaeus è carcere emittitur,
& ad fidem christianam perducitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXXVI.

Implorata à Dei matre ope, Iudaeus è carcere emittitur, & ad fidem christianam perducitur.

PER Insubriae regionem iter habens Iudaeus, captus à latronib., & crudeliter lauciatus, in uincula coniectus est. Miser ibi in squalore, & luctu uersans, mortemq. expectans, Virginis auxilium implorare decreuit; in qua sciebat, tantam à christianis hominib. spem collocari. Flens ergo miserè, cum ipsa huc sermonem habuit: O VIRGO, orbis terrarum, & coeli regina, in me summè miserum misericordia tua, quam mirabilem, & infinitā esse, aperte omnes fatentur, utere. Ne me Virgo deserās, per quā tot gaudia hominib. contigerunt; quae tot commoda adtulisti, tot curas ademisti. Dicunt christiani, per te seruatum fuisse terrarum orbem; à cacodaemone obsessos tua pietate liberari, captiuos redimi. Tua mihi clementia in tanto periculo praestò fit. Iam uerò ille totum triduum in ainculis fuerat; cum & lassitudine, & dolore prostratus, somno oppressus est; cui statim occurrit matrona uenerabili facie, & diuino aspectu praedita. Aderant simul duae adolescentulae; quarum altera prorsus arcta uincula dissoluit. Carcerem uerò ipse, somno excitus, coelesti lumine perfusum uidit. Rogauit deinde matronam, ut indicaret, quodnam sibi esset nomen, & quid fuisset causae, cur tam insigne beneficium ea in se contulisset. Respondit ipsa, En ego, Dei mater, à te piè uocata, huc adueni; & licet

licet tu tota cum gente tua filium meum abnegaris; tamen pro malo bonum rependere parata sum; ut te hoc errore, in quo diu latuisti, exsoluam; ut è miserrimo statu ad salutem tandem conuertaris. His autem uerbis ut maiorem fidem adhibeas, id tibi apertioribus signis ostendam. Ab Angelis igitur Iudaeus in excelsum locum elatus, profundissimam, & tenebrosam uallem conspexit; in qua ardentissimae flammae teterimum odorem afflantes accensae erant, quò in saeuissimum cruciatum innumerabiles animae abripiebantur. tamen autem infelices, quae inusitatum supplicium sufferebant, grauisimè conqueriebantur; neminem tamen earum miserebat, nec ulla pietas praestò erat. Metu iam exanimatus erat; cum Virgo dixit, illis cruciatibus perfidos Hebraeos torqueri; qui Christum generis hominum liberatorem, nunquam agnoscere, nunquam apertè, etsi eam rem palam habebant, profiteri uoluerant; neque ex dissimulato, ac diu celato errore emergendi unquam consilium ceperant. Eiusdem praeterea reginae coelitem iussu, ducentibus Angelis, Iudaeus in apricum, & amoenissimum collem ascendit; ubi coelestia domicilia apertè uidebantur; ubi coelum suauissimorum odorum afflatu ualde odoriferum erat; ubi coelites uisebantur, quorum uultus mirabili splendore diffusi erant; quiq. concinno cantu praeclarè, & modulatè hymnos canebant. Ea, dum ipse obstupescens admiraretur, monuit Virgo, tot bonorum illos haeredes fieri, qui Christi sanguine redempti sunt; coheredem & ipsum futurum pollicita est; si à Iudaeis institutis abscedere decreuisset. Horum duorum locorum utrum mallet, ipse dispiceret. In

E e 2 coelum

coelum conscendit misericordiae mater; Iudaeus uerò prospiciens, quanto opere res sua ageretur, in sacratissimi fontis purissimis aquis, peccata omnia detegens, se colluit. Deinde tanti beneficii memor, Virginis pietatem, quae clarissimam menti lucem adtulerat, quandiu uixit, apertè, & honorificentissimè laudare semper perrexit.

MIRAC. VIRG. XXVII.

E cacodaemonum manib., regina coeli libidinosam quandam, sed sibi ualde deditum eripit.

Sacerdos, licet nimium luxuria diffuere, nec unquam ullum caecae libidini modum statuere uoluisse; tamen absq. ulla intermissione Virginis laudes, hymnos, & cantica, quotidie identidem recitare assueuerat. Forte, dum ad explendam libidinem iret, & iter conficiens etiam in solita precatatione esset occupatus, è ponte in flumè lapsus & aquis immersus est; anima uerò à cacodaemonib. ad infernas sedes fuit abrepta. Neq. uerò à Virgine desertus est; ea. n. cacodaemones, ut iudicem adirent, perpulsi; uti iudicium ab eo redderetur. Miseram animam scelesti criminabantur; quòd in mortali culpa deprehensa fuisset; clamabantq. infernis cruciatibus eam dedi oportere. At regina coeli auxilium, & salutem afferendam esse dicebat eius sacerdotis animae, cuius in ore, dùm è uita excessit, Angelica salutatio uersabatur. Tunc aeterni iudicis iussu illuc repente mortui lingua allata est; & in ea salutationis Angelicae notae impressae uisae sunt.

Ecce 2

sunt.